

haud dubie ei obtulerat, quod inde col-  
ligitur, quia dicit; *Vende mihi hodie, iura  
mihi hodie*, quasi dicat, quod toties mihi  
obtulisti, nunc mihi præsta. Denique con-  
temptus illius causa nulla in Iacobo est  
sed in solo Esau. Sicut igitur Esau exem-  
plum est hominis profani, contempto-  
ris Dei & salutis suæ: ita Iacob exem-

plum est viri pij, delicias huius mundi  
non anteferentis adoptioni cælesti &  
aternæ salutis, & recte quidem: Om-  
nes enim deliciae & thesauri mundi,  
quid sunt nisi pulcra lenticulæ:

Vir prudens omnia vendit,  
margaritam re-  
dimit.



## CAPITIS XXVI.

### Argumentum, Vfus, Partitio.

**H**oc capite duo exponuntur Isaaci exilia, eorumque causa: prius in Gerar apud Abimelechum  
regem, ob famem Cananaam: alterum in vicina valle ob Palaestinorum inuidiam. Duo item  
oracula, quibus in utroque de presentia & gratia Dei confirmatur Isaac. Sicut autem exilia nos com-  
monefaciunt fortuna piorum in hoc mundo, quod simus hospites & vagabundi sine certis sedibus &  
praesidiis humanis: Ita oracula docent, Deum suis non deesse in arumnis, & promissiones diuinas in  
exilio & morte fidelibus ratas manere. Porro res gesta vtriusque exilii admodum similes sunt superio-  
ribus quibusdam Abrahami historiis. Ideo minus erit difficultatis: quoniam pleraque inde repetenda  
erunt. Isaac metus causa Rebeccam dissimulat uxorem sorte parentis exemplum imitatus: sed re de-  
tectâ obiurgatur à rege. Idem contigerat Abrahamo in Aegypto à Pharaone cap. 12. 13. Et in Gerar  
ab Abimelecho cap. 20. 5. In exilio Isaac non premitur egestate, sed mira Dei benedictione fit locuples:  
Idem fiebat Abrahamo, c. 12. 16. & 13. & cap. 20. 14. Isaaco contentio est de puteis cum Palaestinis, sed  
iure tandem obtinet, & hostes fiunt ei supplices: Idem eueniat Abrahamo cap. 21. sub finem. In his  
igitur ad superiora recurramus, quæ ostendunt, non dissimilem esse piorum sortem, & quasi eandem  
agi fabulam iam olim in mundo, mutatis tantum personis.

Partes sunt tres.

PRIMA: de exilio Isaaci in Gerar, vsque ad ver. 12.

Vbi 1. narratur causa migrationis, fames in Cananaa ver. 1.

2. Oraculum, quo & hospitium ei ostenditur, & Cananae promissiones confirmantur: versib. 2.

3. 4. 5. 6.

3. Dissimulatio Isaaci de uxore, eiusque causa ver. 7.

4. Expostulatio regis cum eo post rem compertam. ver. 8. 9. 10.

5. Securitas ei cauta regio edicto. ver. 11.

SECUNDA, de altero exilio in valle Gerar.

Vbi 1. Causa migrationis quatuor exponuntur. v. 12. 13. 14. 15. 16.

2. Migratio ipsa. ver. 17.

3. Certamina cum Pastoribus Palaestinis de puteis versib. seqq. quinque.

4. Reditus in patriam Beersebam. ver. 23.

5. Nouum oraculum & Isaaci gratitudo. ver. 24. 25.

6. Confederatio Abimelechi cum Isaaco versibus sequentibus octo.

TERTIA: Est de Esau infauista digamia. ver. 34. 35.

PRIMA